



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

4 Locus insignis dicitur, qui in ordine locorum quiddam habet præcipuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO III.

Ex consl. 2. in vtrisque.

3 **P**apa alicui sub pœna suspensionis præcipiens, vt cum ad pinguiorem fortunam venerit, dimidium actuum impendat ædificationi, vel immobilium emptioni, prout verba eius sonant, intelligendus est: Tunc autem ad pinguiorem fortunam peruenisse quis dicitur, quando ad eum statum peruenit, in quo de bonis suis honestè se sustentare poterit: Sicut & debitor ad pinguiorem fortunam venisse censetur, quando tantum habet, quod possit solvere, retento seu deducto eo quod ei ad commodè, & honestè viuendum sufficit: Inter eos, & l. miles. ff. de re iud. Honestà autem sustentatio ex personæ qualitate consideranda est, gl. in l. in condemnatione, ff. de reg. iur. §. sed si quis. Bal. in l. 2. Quod met. cau.

DECISIO IV.

Ex consl. 3. alias 1.

4 **L**ocus insignis in iure, aut literis Apostolicis, is intelligitur, qui in ordine locorum quidam præcipuum, & speciale habet, & pro tali vulgo habetur, arg. l. labeo. ff. de supel. leg. & c. ex literis. de spon. alibus, & talis esse potest, quauis muris cinctus seu muratus non sit, ca. statutum de rescript. in 6. & gl. ibi. verb. ciuitas.

DECISIO V.

Ex consl. 4. alias 8.

5 **C**oncilium Prouinciale a Papa, & a Patriarcha, qui superior est Archiepiscopis totius Prouinciæ, vel ab ipsomet Archiepiscopo & Metropolitano, congregari potest: ita Card. in Clem. 1. de sent. exc. Et conuentus Episcoporum coactus ab habente potestatem vocandi, vocatis vocandis de iure, vel consuetudine, Concilium Prouinciale facit.

DECISIO VI.

Ex consl. 5. alias 3.

6 **C**um intelligentia dictorum ex causa dicendi sumi debeat, cap. Intelligentia. de verb. sign. verba illa Conc. Trident. sess. 24. cap. 12. de refor. *Nec illis possessio suffragatur.* de adiutorio, & suffragio, quod dat possessio ad quærendos, vel non perdendos fructus beneficij; non autem ad illud quod ad quærendum, vel non perdendum titulum conuenit, intelligenda sunt; cum Concilium de acquisitione, vel amissione fructuum beneficij, & non tituli eius, loqui cognoscatur, maxime cum pœna restringenda sint: cap. pœna. de pœnit. dist. 1. ita vt mensuram delicti non excedant; vt patet Deuter. 16. & cap. non offeramus 4. q. 1. Satis autem est beneficiarium professionem fidei ex ignorantia, vel ex negligentia non emittentem, iure quærendi fructus beneficij, non autem iure titulum tangente priuari; vt illum proinde sacrum Concilium iure tantum fructuum, & non iure titulum tangente voluisse priuare, credendum sit.

DECISIO VII.

Ex consl. 6. deest in Nouis.

7 **C**oncubinarij non solum tertia parte fructuum, verbis illis Concilij Tridentini sess. 24. cap. 14. de refor. *Fructuum obuentio, ac prouentuum,* &c. Sed etiam distributionum quotidianarum priuantur; cum sæpe Papa concedat fructus beneficij, distributiones quotidianas expresse excipiendo, capitu. vi. de rescript. in 6. exceptionem autem fieri de regula, certum est, cap. Quoniam frequenter, vt lite non contestat. & ibi Felin. in cap. ad aures. num. 54.

F I N I S.